



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

De smalto rosei clari coloris conficiendo. Cap. IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

iucundum visu. lam confecto opaco smalto, super marmor sparge, & illico supra crocum, vel pallidum colorem guttatim inspargito, & habebis. Si vis

*duorum colorum smaltum habere*

commistum, primum *smaltum* coloratum supra marmor proicias, vt supra diximus, mox aliud aliter coloratum super imponas, & ferrea rudicula comprimendo ynias. At si quæris

*nobilius smaltum conficere,*

Quo aurifabri vti solent, singulis catinis duos offas falsi sodæ addes, & harenæ, ex qua vitrum conficitur, & perfectius erit.

*De smalto rosei clari coloris conficiendo.*

C A P. IX.

SED peritiores recētiore vitrarij in colorando *smalto* rosei clari coloris, vulgus *rosachiero* vocat, nō parum insudant, videntes maiores nostros, quod illud satis artificiose, & pulcherrime confinxerint. Nos & quæ ipsi fecimus, & ab amicis habuimus, recensēbimus, quod potuimus, præstitimus, alijs ansam præbendo meliora conficiendi. Hic erit

*modus rosaclerum conficiendi*

denas crystalli libras in ollam iniicito, vbi optime liquefactū noueris, immergito libram minij optimi, dimidiatis vicibus, ferreo veru quamcitissime remiscendo, nam sui ponderositate facile in fundum cōsudet, vbi remistum noueris, ex ollula instrumentis ferreis, ad id aptis, euellito, & in aquam mergito, idq; tertio repetere ne pigeat: mox supra, æris in calcem redacti, vncias quinque admisceto, coloris flagrantissimi cinnabarim, & maxime exagitatam tribus horis cōquiescere finito. Vbi id feceris, stanni vitri superaddito ternas vncias, sine intermissione remiscendo, & floridissimum rosei colorem in vitro perspicias, quo exornando auro vt poteris. Hoc tamen modo poteris

*Vitrum stanni conficere.*

Testaceo vase igni durabili conijcito stanni libram, finito calefiat, & liquecat, & vitrariorum fornaci in æstu  
flamma

flammarum accommodetur ferreis forficibus, triduo, vel quadriduo, post amoto, & frigefacto vase, frangatur, & in superficie vitrum inuenies ciocci coloris, turbidi, & si diutius in igne steterit, euadet perfectius, nec melius in hoc genere contigisse cognouimus, ex multis, quæ experti sumus. Sed in puluerem ritè redactum iniici oportet, quod non solum pila, & molis, sed porphyretico lapide uti opus erit. Si flagrantius euenierit, vitrum addendo diluemus. Est & alius

*conficiendi modus*

amicis reseruatus. Sint nouem partes stanni combusti, septem plumbi, binæ cinnabaris, *ferretti* vocati hispanici, & tartari pars & dimidia, lapidis sanguinei simplex, rubri pictorum quarta. Age, ut scis.

*De foliis, quæ sub gemmis ponuntur. CAP. X.*

**S**UB gemmis foliola accommodatur metallica: nam si quæ perspicua sint, faciunt ut meratius & dilutius interniteant, ut cordi erit: nam si dilutius splendeant velint, folia subiiciunt clarioris nitoris, sic si meratius, obscurioris. Præterea interminata perspicuitate internitent gemmæ, fundumq; annuli referunt: vnde suæ bonitatis pretium minuunt. Hoc recentiorum adinuentum est, ut folia quædam coloratissimi, splendidissimi, iucundissimi que coloris fiant, ut perspicuitatem earum terminent, & colorem accommodent, resarciant, vel emendent. Nos quum his conficiendis admodum delectati fuerimus, particularim trademus. Foliola conficiuntur vel ex solo ære, vel ære, auro, & argento mistis, dicemus ea, quæ ex simplici ære concinnantur. Ex ærarijs officinis bracteolas mercantur, solidioris papyri soliditate, ut earum attenuatio facilior sit, quas in partes trium digitorum secabimus, & duorum latitudine, ita ut lamellarum binæ libræ in centum triginta partes diuidantur, has bifariam diuidemus, ut facilius earum malleatio sit, quadraginta ergo illarum accipiemus, ac malleo percutiemus, ut solent artifices, qui aurum in tenuissimas lamellas extenuant. Sit incus plana, expolitaque, & malleus, ne validis ictibus æs signetur, frangaturq;